

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Proverbium Male parta male dilabuntur

**Hanke, Gottfried
Wachtel, Justin**

Helmetstadi, [1698]

§. X

urn:nbn:de:bsz:31-102693

locum invideat ? véniant , hospitentur . *Hec Seneca*
I.c. O ! si omnes eam , quam debent , vitam viverent ,
ut corde non trepidante & animo imperterrita verba
Samuelis sua facere possint : *Ecce me , testificamini con-*
tra me coram Jebova & coram undō ejus , cujus bo-
vem acceperim , aut cujus asinum acceperim , aut quem
fraudaverim , aut quem concusserim , aut ē cujus manu
acceperim redēctionis p̄tium , ut adderem oculos meos
propter illud ; & reddam vobis . I. Sam. XII. 5. Et uti-
nam eadem sollicitudine caverent sibi à malè partis , qua
Tobias , qui cum audiret hædulum balantem , dixit
uxori : unde hædulus iste ? nonne furto sublatus est ?
Redde eum dominis , nam nefas est comedere furto
ablatum quicquam : dicente vero illa , dono datus est
mihi , præter mercedem , tamen non credidit illi , sed
edixit eum redi dominis . cap. II. 13.

S. X.

Sed quid agendum est ei , qui bona quædam
malè acquisivit , an sufficit pro rapinis suis satisfacere
eleemosynis ? Minimè gentium . Primo enim bona
pauperum inique adquisita secum retinet , & sic aliorum
sanguine & sudore saginatur : deinde de peccato suo non-
dum serio dolet , sed in iniuitate sua pergit : si serio do-
leret , ne ad momentum amplius rapinas illas secum tote-
rare posset : denique DEum fallere tentat hypocrita ,
quasi eum hoc sacrificio suarum eleemosynarum reconci-
liare possit . Vid . Friderici Balduini casus conscientiæ
Lib. IV. cap. III. cas. VIII. Benè Chrysostomus in caput
XVII. Matthæi Homil. LVII. pag. 508. edit. Commelin .
Sed quenam est multorum excusatio ? Fœneratus
sum , ajunt , sed pauperi obtuli . Bona verba quæsto , talia
DEus sacrificia non accipit . Noli cavillari legem . Mu-
to me-

to melius est non dare pauperi , quam hoc modo dare . Quod enim iustis laboribus collectum argentum est , propter hos iniquos fœtus plerumque contaminas , quasi quis fœcundum cogat uterum scorpiones parere . Præclare item Lodus Vives in suo Commentario ad Lib . XXI . cap . 27 .

Augustini de civitate DEI : Persuasum est multis , qui compositionibus , ut vocant , inducti , fidentes securi- que , quantum ab aliis possunt , ad se & rem suam , quo jure , quaque injuria avertunt , facile sibi noxiā eam remissum iri sperantes , si furati centum , numerent compositori quatuor , aut ad summum decem : nam hoc nomen in ejusmodi rebus habet nescio quid sacri & my- sterii propter filios Levi , quibus decimæ rerum omni- um jubebantur dari : & profecto falsi sunt miserrimè , si putant DEum ærungine vilissimi auri vel argenti ca- pi : solis capitur animis , iisque bonis , quos non dant , nisi boni homines : nam pecunias latrones abundè ha- bent , & prodigunt , præsertim si quos recens spolia- rint , aut urbem expilarint sanctissimo , videlicet , ut quibusdam videtur , bellī jure . Itaque nemo fidat suis opibus , cum non modo Deus , sed nec vir quispiam bo- nus velit à malo donari se . Quis unquam Simon pe- cunia voluit gratiam Dei emere , si isti nolunt , si isti non tentant , si non putant ? *Hæc Vives l.c.*

s. XI.

Quid igitur consilii tandem supereft injuste opes suas cumulantibus ? Quid nisi hoc ? ut lædens læso sa- tisfaciat , & ablatum , si modo fieri posse , restituat . Conf. Numer . V . 6 . 7 . Esaiæ LVIII . 6 . 7 . 8 . Ezech . XXXIII . 14 . 15 . Dan . IV . 24 . Non enim remittetur peccatum , nisi restituatur ablatum : secundum regulā Augustini , quæ habetur in E- pistola LIV : ad Macedonium p . 51 . L . edit . Paris . 1541 .